

VIRVM
MAGNIFICVM MAXIME STRENVVM
AC GENEROSVM DOMINVM
DOMINVM
CAROLVM ERNEST.
RAMSEY

PRAECONSVLEM, VICES PRAESIDIS CIVITATIS GERENTEM
ET

PROTOSCHOLARCHAM

LONGE GRAVISSIMVM

SENATVS SVFFRAGIIS

ANNO M. DCC. LXV.

ELECTVM

LAETABVNDIS VENERABVNDISQVE

MENTIBVS

SALVTANT COLVNTQVE

MVSAE ELBINGENSIS GYMNASII

PRAEEVNT

IOA. DAN. HOFFMANNO

CONRECTOR ET PROF. P. O.

ET

*De Mutuis Anglorum & Prussorum Commerciis
sub Dominatione Equitum Ord. Teutonici*

NONNVLLA COMMENTANTE.

ELBINGAE

IMPRIMEBAT IO. GOTTL. NOHRMANN.

MAGNIFICVM MAXIME STRENVVM
AC GENECVVM DOMINVM
DOMINVM
CAROLVM ERNEST.
RAMSEY

PRÆTORIVM, VICES PRÆSIDIS CIVITATIS GERENTEM
PROFESSOR ARCHAM
JONES GRAVISM
SENATVS SVITRAGIIS
ANNO M. DCC. LXX
ELECTVM
LACERANTIBVS VENEREBVNDISQVE
SINGVLIS
SENATVS COLVTORE

MYSAE ELBINGENSIS GYMNASII

IOA. DAN. HOFFMANN

De Maturæ Aegrotum & Prætorum Coniunctis
sub Dominione Episcopum Ord. Teutonici
HÖRSTIA COMITATE

ELBINGAE
IMPRIMAT IO. GOTTL. NOLLMANN

Ex quo generosae ac splendidissimae familiae TVAE maiores, VIR MAGNIFICE, ex Britannia ad has oras delati, domicilium in hac ciuitate collocarunt, summis fere semper honoribus, amplissimisque dignitatibus sunt perfuncti. Nimirum soboles dignissima tantorum virorum personis, in auita sede meritorum splendore ac decoribus fulgentibus, tanto celsius hic enitebatur, quanto maiorem vim ingeneratae virtutes addiderunt atque inflammaverunt. Fixerant sedem rerum suarum in ea vrbe, in qua insignis litterarum amor, & ob loci opportunitatem, copiam & abundantiam omnium rerum, quas & tellus fertilior profert, & ius stapulae, quo utebatur, suppeditauit, multosque peregrinos inuitauit & ad se traxit, mercatura fuerat quaestuosissima. Quam ob rem Prussiam Anglis semper amicam fuisse reperimus, quam vltro citroque nauigantes saepenumero salutarunt & antiquissimis & nouissimis temporibus, cuius rei indicia adhuc exstant luculenta. Hinc nobis in mentem veniunt frequentiora commercia, quae vniuersae Prussiae olim fuerunt cum aliis terris, cum Equites Ordinis Teutonici summam rei in ea tenerent. Non superuacaneam itaque operam nos suscepturos confidimus, si rem, quod ad nauigationem & negotiationes mari cum aliis gentibus exercitas adtinet, paulo curatius disquiramus; propterea quod a nemine, nisi a MATTHIA PRAETORIO, ¹⁾ consulto & cogitato disputatam esse cognouimus. Neque putamus, hanc materiem a plerisque populis in bene constitutis rebus publicis nostra aetate feruidius agitatam, ab hoc tempore & ab officio nostro, TIBI, VIR MAGNIFICE, de collatis amplissimis dignitatibus congratulandi, alienam fore; quippe illorum, penes quos summa est potestas in ciuitate, praecipua iudicatur esse cura, quam, vt ad communem omnium ciuium salutem, ita quoque ad integritatem rei mercatoriae conferant quam studiosissime, vt eius exploratas habeant rationes, nec committant, vt improbi fidem fallant, quae perpetuo intaminata sit oportet in commerciis exercendis. His vero cancellis nos nunc circumscribemus, vt, omissis caeteris negotiationibus, quae tum Prussis

cum aliis gentibus intercesserant, praeterquam quod socias ciuitates Teutonicas siue Hanseaticas adtinet, eas tantum caesim stric-
timque perstringamus, quae Britannos potissimum attingunt.

1) Quod ipsemet indicauit in ea operis sui, quod appellat Preuss. Schaubühne & in Regia Berolinensi Bibliotheca manu scriptum adhuc delitescit, parte de Nummis, cuius integrum Caput Tomo III. des Erlaut. Preuss. p. 243 sqq. insertum est.

Licet Britannia, Albion olim dicta, omnium maiorum insularum nobilissima & nauigationi opportunissima est; non reperimus tamen, quod incolae mercatores, antiquissimis temporibus, magnis nauigiis vsi sint, quibus diuitias suas aliorum deportassent. Nam PLINIUS¹⁾ ex TIMAEO Historico memoriae prodidit, Britannos vitilibus nauigiis corio circumfutis nauigasse, ac sex dierum nauigatione in aliam insulam, Mictim dictam, sibi adiacentem, traiecisse, ex qua candidum plumbum exportauerant. Quin immo, teste RAPINO,²⁾ Phoenices negotiatores iam pridem Britanniam quotannis nauibus adierunt, magnamque stanni copiam partim domum, partim in alias distitissimas terras, mercaturae faciendae causa, deuexerunt: quos Graeci deinde, re animaduersa, secuti sunt, eodem mercaturae genere negotiantes. Nam quod in annalibus DÜSBURGII, SCHÜTZII, WAISSSELII, aliisque Chronicis vetustioribus manu scriptis, de quibusdam, a Rege DRVSO ex Britannia expulsis, qui mare Balticum nauibus ingressi fuerint, sub suamque potestatem Prussiam redegerint, relatum legimus, fabulae sunt. Satis longo interuallo post, Britannia & multitudine nauium & mercatura, cuius faciendae causa vastissima maria longe lateque permen- sunt negotiatores, & elegantia ac bonitate mercium, quibus feracissima tellus affluebat, ita nobilitata est, ut omnes fere nationes ad se alliceret, datis vel sua sponte, concessisque aequalibus iuribus & priuilegiis quam amplissimis.

1) In Hist. Nat. L. IV. c. 16.

2) In der algem. Gesch. von England T. I. in praefat. p. 6.

Nec omnino intactum reliquerunt Angli mare Balticum orasque in primis in Prussia maritimas, cum Ciuitates efflorescere coeperunt, Equitibus Ordinis Teutonici summam rei tenentibus, qui in eo assiduam curam ponendam esse existimarunt, ut conditae

& alia ratione occupatae vrbes quaestuosam facerent mercaturam. Quando vero istae cum Anglis mutua rerum commercia miscere coeperint, difficile est indagatu. Nulli vero dubitamus, quin, commercio cum Hanseatica societate ac praecipue cum Lubecensibus iam habito, Ciuitatum Prussicarum naues Angliam & Anglorum vicissim Prussiam petierint. Et, nisi nos omnia fallunt, Ciuitatem Elbingensem omnium primam fuisse opinamur, quae isto vinculo continebatur, quod primos aduenas ex eadem ciuitate, qui hanc urbem condere coeperant, non fuisse piscatores tantum, verum negotiatores etiam, qui hoc genere mercaturae quaestum sibi pararunt, admodum probabili ducimur coniectura. Jam eo, quo condita erat, Saeculo XIII & quidem anno 1293 Ciuitates, Lubecam, Rigam, Hamburgum, Wisnariam, Rostochium, Stralfundium & caeteras, in quibus vltimum locum tenet Elbinga, egregium priuilegium a PHILIPPO IV, Rege Franciae obtinuisse narrat WILLEBRANDT, ¹⁾ exclusis Anglis, vt hi non facerent vela in Franciam. Quum etiam ex priuilegio, a VLADISLAVO, Rege Poloniae, anno 1296 Lubecensibus dato, apparet, his copiam factam esse Gedani domos exaedificandi, mercaturae faciendae causa, non temere inde coniectamus, Gedanensem ciuitatem foedere Hanseatico iunctam fuisse, priusquam sub ditionem Equitum O. T. venisset. ²⁾ HARTKNOCHIVS, quod ad Thorunium adtinet, putat, ³⁾ eam ciuitatem ab ipsis incunabulis vela fecisse Daniam, Sueciam, Brabantiam, Flandriam, aliasque Europae partes versus: in harum numero fortassis & Britanniam posuisse existimamus. HENNENBERGER ⁴⁾ sine dubio nesciuit, quo referret Regii Montis mercatorum nauigationem, quam posuit post annum 1426 ex GRVNAVIO; quum facilis coniectura est, illam ciuitatem, aequae ac caeteras Prussiae ciuitates iam pridem commercium habuisse cum Britannis. De caeteris Hanseaticis in Prussia ciuitatibus, nos nihil omnino habemus, quod liqueat: neque huius esse loci putamus, ista peruestigare; nisi quod de Culma, quae vrbs olim principatum tenuit, aliquid commemorandum est, quod CVRICKE ⁵⁾ tradit, merces mari in

portum Gedanensem aduectas paruulis nauigiis Culmam asportatas fuisse, dum in ciuitate Gedanensi emporium Hanseaticarum ciuitatum in Prussia constitutum est.

- 1) In der Hanfsichen Chronick II, Abtheil. p. 17. conf. Hamb. Magazin Vol. XX. p. 669.
 2) Idem l. c. p. 18. 3) In Epist. nuncupatoria Düsburgi Chronico Prussiae praefixa.
 4) In der Erklärung der größern Landes-Tafel p. 170. 5) In der Beschreib. der Stadt Danzig p. 36 sq.

Saeculo XIV, tota Prussia in potestatem redacta & pacata, ac sede Magistrorum O. T. ex Germania huc translata, id Equites animo sedulo agitarunt, qua ratione mercatoriae res maiora incrementa caperent. Ipsae ciuitates arctiori vinculo cum Hanseaticis consociatae, omnium priuilegiorum, libertatum, immunitatum & commodorum inde promanantium participes factae, in magna apud exterarum gentes auctoritate erant: quo ipsimet Ordini Teutonico insigne decus & ornamentum conciliatum erat. Quamquam in annalium monumentis eius rei memoria est nulla; non dubitamus tamen adfirmare, commercia vtriusque gentis tum fuisse frequentiora, quod altero ingressus Ordinis Teutonici Saeculo in Prussiam Angli militiae causa huc saepenumero venerant.¹⁾ Ex quo cogere licet, multo crebrius etiam mercandi causa hanc terram adiisse: ²⁾ quemadmodum contra ea Prussicae naues Angliam petierunt, cum, dissociatis ciuitatum Teutonicarum animis, emporium, quod Bruggis in Flandria erat, in Angliam, cum magno Britannorum commodo & ingenti memoratae ciuitatis detrimento, translatum est. ³⁾

- 1) Düsburg in Supplem. p. 414 sq. Waissel p. 118. 128. Schütz p. 88. Duellius in Hist. Ord. Equit. Teut. p. 30. Preuss. Samml. T. III. p. 223. Rapin. l. c. Vol. II. p. 553. III. p. 55. 66. 69. Pauli Preuss. Staats-Gesch. Vol. IV. p. 170. 223 sq. 232. 237. 2) Gregor. Hefius Rer. in Preuss. gestar. L. III. in MSto. 3) Rapin. l. c. T. II. p. 553. conf. Willebrandt l. c. I. Abtheil. p. 35. a Werdenhagen de rebusp. Hanseat. P. IV. c. 18.

Quotidie magis autem negotiationes florere coeperant, cum VINRICVS a KNIPRODE Ordini Teutonico praefuit, qui vt caeterarum rerum, ita rei mercatoriae omni ratione iuuandae & amplificandae praecipuam curam gesserat. Hinc factum, vt ciuitates Hanseaticae ipsum directorem suum expeterent; quam vero dignitatem sibi tributam honestissime recusauit. ¹⁾ Neque vllum
 est

est dubium, quin idem ciuitatum in Prussia cum Anglis tum mercaturam exercentium potissimum rationem habuerit, omnique studio commodis illarum adaugendis consuluerit. Namque commemoratum legimus, ²⁾ nuntios Lubecenses & Elbingenses ad EDVARDVM III, Regem Angliae, anno 1375 missos fuisse, qui postularent, vt telonia Hanseaticis ciuitatibus imposita refingeret. Neque tamen prohibere poterat, quo minus Angli nauigationem & mercaturam Prussorum vehementius turbarent. Cum iterum ciuitates ab eo exigenter, vt litteras ad Regem Angliae & ad ciuitatem Londinensem daret, negauit, se frustra ea de re amplius scripturum, quin iure talionis in terris suis aduersus mercatores Anglos vsurum pollicitus est. Nihilominus postea vnus anni tempus ipsis dandum censuit, cuius interuallo priuilegia in Anglia denuo confirmata, &, telonio abolito, illatum damnum resarcitum iri promissum est.

1) Duellius l. c. p. 34. Erlent. Pr. T. II. p. 497. Acta Bor. T. II. p. 432. Pauli l. c. Vol. IV. p. 127. Liedert Orat. de Vinr. a Kniprode meritis in Prussiam. 2) In Actis Erud. Lips. a. 1711. p. 239. vbi Tomus VII. Thom. Rymeri operis, cui index: Foedera, Conuentiones, litterae & cuiuscunque generis Acta publica Anglicana, recensetur & Koehler in Willebrandt Chron. cit. p. 189. Bangertus in not. ad Chron. Slauor. Helmoldi & Arnoldi ex codice MSto priuilegior. nomina istorum nuntiorum enotauit, qui erant Sim. Schwertingius & Hartwicus Bodeke vtrique Consules p. m. 264. 3) Koehler l. c. p. 191.

Post obitum KNIPRODII negotium ciuitati Thorunenfi fuisse cum Anglis, patet ex litteris ANNAE, Reginae Angliae ad Commendatorem & Magistratum Thorunensem anno 1384 missis, quae adhuc manu scriptae asseruantur. Ex quibus cognosci potest, merces Anglicanas in ista vrbe depositas & forte custodia detentas Reginam repetiisse. Ex schedula vero anno 1385 manu scripta intelligitur, quantum damni nauibus Thorunensibus mari ab Anglis illatum fuerit. Quod si liberet, addere calculos reliquarum ciuitatum in Prussia, ingentem pecuniae summam, pro ratione valoris, quo tum praestabant numi, effici deprehensurimus atque intellecturi, negotiationem Anglorum cum Prussis tum habitam maximi fuisse ponderis & momenti. Quam vim & iniuriam, quod eam decem iam annos scilicet ab anno 1375 pertu-

pertulerant, *vetus*, &, quod post illud temporis spatium per-
 pessi sunt, *nouum damnum*, tum vocitare solebant. ¹⁾ Cum
 igitur, neque legationibus, neque amico epistolarum commercio,
 quidquam, quod salutare esset, effici posse viderent, CONRADVS
 CZOLNERVS a ROTENSTEIN, Magister Ordinis in conuentu,
 anno 1385 Mariaeburgi cum ciuitatibus celebrato, decreuerat,
 bona Anglorum, quae in Prussia essent & damnis reparandis suffi-
 cerent, custodia tenenda, & duos, vnum ex Ordine Teutonico,
 alterum ex ciuitatibus, qui fuit HARTWICVS BÖDEKE, Consul
 Elbingensis, quem supra commemorauimus, ablegandos. ²⁾ Ni-
 hil dum vero ibidem constitui potuisse, apparet ex iis, quae post
 gesta sunt. Sequenti enim anno Magister Ordinis ex edicto suo
 prohibuit pannum & caetera mercimonia ex Anglia in Prussiam,
 & vicissim ex Prussia in Angliam vllum lignum, praeter quoddam
 eius genus, quod Klapholtz dicitur, importare. Nec delecti ex
 ciuitate Elbingensi in conuentu, anno 1387 Mariaeburgi habito,
 de iniuria ab Anglis sibi illata, qua magnam fortunarum suarum
 iacturam fecerant, conqueri desierunt. ³⁾ Tandem has vexationes
 anno 1388 pacificatio consecuta est, RICHARDI, Regis Angliae
 auctoritate, &, ne mutuae in Prussia querelae, mercatoria maxi-
 me negotia concernentes, resuscitarentur facile, gubernatorem
 quendam rerum suarum in Prussia constituerunt mercatores An-
 gli. ⁴⁾ Ante vero quam Angli damnum praestiterant, quod mer-
 catores Prussi contradixerant, decretum denuo erat anno 1389,
 nuntios ex ciuitate Elbingensi in Angliam ablegare, in cuius lega-
 tionis societatem quendam ex suo Ordine Magister adlegit. Quod
 delectis multum facefsebat negotii, Anglis negantibus, tantum illis
 deberi, quantum exigent. Quod vbi Prussi iustis documentis
 comprobarunt, sine dubio omnis controuersia facili negotio com-
 posita est. ⁵⁾ Profecto id tum Prussis commode euenit, quod eo-
 dem anno, teste LINDENBLATO, annona ita ingrauescebat, vt
 nauis tritico onusta, ex Anglia, quod antea nunquam factum esse
 ait, huc appulsa esset: ⁶⁾ contra ea, vbi aliae terrae magna rei fru-
 mentariae inopia laborarunt, trecenta amplius nauigia ex Anglia
 Francia

Francia & Belgio in Prussiam venerant, quae ingentem frumenti copiam hinc deportarunt, multumque auri reliquerunt, ex quo CONRADVS A WALLENROD aureos numos fieri iussisse perhibetur, qui a SCHÜTZIO, ⁷⁾ WAISSELIO, ⁸⁾ & aliis descripti sunt; de quibus vero, num vllus vnquam cusus fuerit, non sine ratione ab aliis in dubium vocatur. ⁹⁾ Cum adhuc inter vtramque gentem tantopere florerent commercia, mirum non est, HENRICVM IV, Regem Angliae ea re permotum, vt nouum priuilegium a. 1399 non solum ciuitatibus in Prussia, verum in Germania etiam Hanseaticis, dederit. ¹⁰⁾

- 1) Rupſon in Chron. Mſto. 2) Idem l. c. 3) Idem l. c. 4) Iſtae querelae leguntur T. VII. p. 599. rariffimi & plane Regii operis Rymeriani, quod ſupra excitauimus, vt ex Actis Erud. Lipſ. a. 1711. p. 245. edocti ſumus. 5) Rupſon l. c. 6) Hamb. Magazin Vol. XXI. p. 82. 7) Preuſſ. Chronick p. 88. 8) p. 128 b. Acta Bor. Vol. I. p. 362. Conf. Leo l. c. p. 185. Duellius l. c. p. 37. 9) Erleut. Pr. T. I. p. 4 ſqq. 10) Hoc priuileg. Willebrandt l. c. in der III. Abtheil. p. 35 ſq. exhibet.

Si quando Prussia maxime floruit, sane sub dominatione CONRADIA IVNGINGEN floruisse vere dictum est a WAISSELIO ¹⁾ & LEONE. ²⁾ Nihilo secius Prussorum mercatorum naues grauiter adſictatae erant a piratis Anglis, quod testantur epistolae societatis Hanseaticae ad HENRICVM, Regem Angliae, eiusque Concilium anno 1402 scriptae. ³⁾ LINDENBLAT ⁴⁾ memoriae prodidit, quod mercatores Angli damnum acceptum conqueſti, in Prussia & Liuania vt refarciretur, postularunt. Quae caussa Dordracum in ſequentem 1406 annum dilata erat. Interim Rex Angliae annuit ipſorum petitioni, & mandauit, vt omnis controuerſia cum ciuitatibus & Magiſtro O. T. componeretur, vt ex eius mandato cognosci poteſt, ⁵⁾ vsque dum declauerit voluntatem ſuam vnacum ERICO, Rege Daniae, erga Magiſtrum, priuilegiaque confirmauerit omnia, quod anno 1407 factum est. ⁶⁾ Commiſſo anno 1410 illo pernicioſiſſimo ad Tannenbergam praelio, res omnis Ordinis Teutonici collapſa eſſe videbatur: nihilominus eodem anno HENRICVS A PLAVERN reſtituit rem, ſancitis nouis commercii tractatibus inter HENRICVM IV, Regem Angliae & Pruſſos opera ablegatorum, quorum duo erant ex Equitibus Ordinis Teutonici, totidemque

demque ex ciuitatibus Gedanensi & Elbingensi, in quibus promissum, damnum acceptum refarcitum iri & quae reliqua. 7) Angli autem commodis suis invigilantes, id moliti sunt, vt in Prussia pariter atque in Teutonicis ciuitatibus eadem libertate vterentur, quam istae in Britannia habuissent: quod vero ipsis anno 1412 denegatum est. 8) Quam ob rem magnae querelae ad Ordinis Magistrum MICHAELEM KÜCHMEISTER a STERNBERG a consociatis ciuitatibus delatae sunt, quae maxime in Prussia a mercatoribus Anglis grauioribus damnis saepissime affectae erant. 9) Quibus vt fortius resistere possent, & decreta a ciuitatibus Hanseaticis lata in terris Prussicis & Liuonicis rata tectaque haberet Ordinis Magister, nuntios ad eum anno 1421 miserunt, qui id ipsi persuaderent. 10)

1) l. c. p. 131 b.

2) In Hist. Pruss. p. 185.

3) Prostant in Willebrandt Chron. p.

38.

4) vid. Pr. Samml. T. III. p. 232.

5) Quod legitur in Willebrandt Chron.

l. c. p. 42 sqq.

6) Idem l. c. p. 44.

7) Pr. Samml. l. c. p. 346 sq. atque

hanc passionem esse eandem putamus quam Duellius l. c. p. 30. excitat, quae duobus ante annis sub Vlrico de Iungingen incepta, & sub Henrico de Plauen confecta erat.

8) Koehler in Willebrandt Chron. l. c. p. 200.

9) Idem l. c. p. 204.

10)

Pauli l. c. p. 280. Hefius l. c. hanc legationem commemorans, haec verba notatu digna subiungit: "Ex his constare potest, ciuitatibus maritimis non vsum solum maris "vicini, sed eiusdem etiam, quatenus ad liberum transitum maris pertineret, defensio. "nem ab antiquo, atque ita etiam iurisdictionem quodammodo competisse, praesertim "cum etiam causarum inter nautas controuersarum cognitionem exercuerint, quae omnia "cum in Prussia Magister Ordinis ita rata habuerit, vt suam saltem & Ordinis indemnita- "tem, deinde vero maturam eorum, quae contra externos decernerentur, explicationem "faciendam sibi reseruarit; facile patet, quam late se tum potestas ciuitatum extenderit.

PAVLO BELLITZER a RVSDORFF summam Magistri dignitatem sustinente, recrudit hoc malum, Anglis multis de rebus Gedanenses, in primis anno 1425, apud illum accusantibus, ac praeterea postulanti- bus, vt sibi eadem, qua illi in Anglia, libertate & iuribus Gedani vti liceret. Sed frustra. Namque non solum re- pulsam tulerunt, verum etiam aduersus eos decretum, classẽ com- parare, quae a SCHÜTZIO copiosius exposita sunt. 1) Missis vltro citroque epistolis ab HENRICO VI, Rege Angliae, ad Magistrum Ordinis in Prussia, & ab hoc ad illum, quarum aliquot hic ex auto- graphis proferri possent, si opus esset, tandem haec controuersia au- thoritate Magistri sopita est. Longum esset, hic singula persequi, quae etiam ex annalium monumentis facile repeti possunt. 2) Hoc vero
silentio

silentio non praetermittendum esse putamus, quod WILLEBRANDT
 ad annum 1443 narrat, ³⁾ Magistrum Ordinis Protectorem Han-
 seatici foederis factum, legatos in Angliam & alia regna, eidem
 societati infesta, misisse, ut omnis controuersia dirimeretur. Tan-
 dem anno 1437 factum est, ut opera cuiusdam Purpurati S.R.E.
 in Anglia pax conciliata, iura ciuitatibus antiqua restituta & priui-
 legia denuo confirmata sint. ⁴⁾ Non possumus non, quin ex HE-
 SIO aliquid, quod iustam rei causam, inter Ordinem & ciuitates
 Prussiae Hanseaticas & Anglos tum controuersam, adtinet, ipsius-
 met verbis interponamus: ⁵⁾ "Martio mense (anni 1442) conuentu
 "generali indicto, Magister iura & priuilegia Ordinis salua sibi esse
 "debere, ipsorum adstipulatione contendit, deinde indultum a
 "FRIDERICO II, olim Imperatore Ordini collatum producit, eius-
 "que vigore portorium & alia telonea se instituturum demonstrat.
 "Mustitantibus ad eam rem Terrestribus, ciuitates, & in his prae-
 "cipue Gedanenses, variis rationibus Magistrum a proposito abdu-
 "cere, & nauigationem, quae pensionis maritimae praetextu im-
 "pediri, aut similia in aliis regnis onera subitura putabatur, liberam
 "reddere student. Petunt igitur, se in ea libertate conseruari,
 "qua fuerint, cum Magister principatum fusciperet, & cuius in-
 "tuitu fidem ipsi suam obligarint. Addunt, si portorium institua-
 "tur, Belgas transactioni Copenhagensium staturos, Anglos mer-
 "ces suas alio deuecturos. Satis pretium, incrementum, frumenti
 "vero decrementum Magister cum ciuitates distrahere, separatis
 "euocationibus, frustra contendisset, obiecta de Belgis & Anglis
 "diluisset, suspensionem etiam, quasi fictum esset FRIDERICI Im-
 "peratoris priuilegium, amouisset, idem, quod aliis Principibus
 "liberis sibi licere ostendit &c., Ab illo tempore magna cum
 Anglis negotia tractabantur, quibus etiam Prussicae ciuitates vna-
 cum caeteris Teutonicis implicatae erant. Quippe ex decreto con-
 uentus, Lubecae anno 1447 habiti, missi sunt delecti in Angliam,
 in his ARNOLDVS A FELTEN, Consul Gedanensis, memoratur,
 qui molestiam, cui Angli causam dederant, ibi leuarent. Eodem
 anno ibidem statuta, quod rem mercatoriam in Anglia adtinet,
 confecta

confecta sunt: cui negotio, praeter alios, interfuit HENRICVS VORRAHT, Praeconsul Gedanensis. Quanquam autem Rex Angliae ciuitatibus spem fecerat, fore, vt onere, quo premerentur, alleuentur; nihilo tamen minus, quosdam illarum negotiatores, horumque merces custodia teneri iussit. Quo facto, id per litteras Magistro significandum duxerunt, exigentes, vt pari modo in Prussia bona Anglorum detineret, & legato suo in Britanniam profecturo mandaret, quid fieri vellent.⁶⁾ Qui cum ad HENRICVM, Regem Angliae, venisset, eique totam rem exposuisset, hic, id nullam difficultatem habiturum, respondit, & declarauit, se legatos missurum, qui hoc negotium cum ciuitatibus Hanseaticis expediant, quod vehementer cuperet, foedera & pacta cum Magistris Ordinis & ciuitatibus in Prussia & Germania olim inita, integra seruari, & priuilegia hisce data nullo modo infringi & labefactari.⁷⁾ Commerciis in meliorem ordinem sic reductis, nullum est dubium, quin postero tempore eodem, quo antea, studio & assiduitate Prussi & Angli eadem frequentarint. Nam adhuc anno 1453 in conuentu Lubecae habito Prussicae ciuitates petierunt, vt sibi libera Anglicanorum pannorum per ciuitates maritimas tranuectio permitteretur: quod ab aliis negatum est.⁸⁾ Cum sequenti anno 1454 Prussi, excusso Ordinis Teutonici iugo, se in Regis Poloniae tutelam & fidem commisissent, tanta ciuitatum in Prussia foedere iunctarum auctoritas apud omnes ciuitates Hanseaticas, ipsosque Anglos, fuit, vt dubitari nequeat, noua pactione, imperante EDVARDO IV, Rege Angliae, conflata, omnium iurium & priuilegiorum, quae multo ampliora fuerunt, participes factas fuisse. Quae vt conficeretur plurimum valuit fortitudo naucleri Gedanensis, Pauli Benecke, qui multas Anglorum naues cepit. Haec pax Anglis magno constitit, quod decem millia librarum Anglicanarum ciuitatibus soluere coacti sunt.⁹⁾

1) l. c. p. 114 b. sqq. conf. Koehler in Willebrandt Chron. p. 204. & Pauli l. c. p. 284.

2) Schütz l. c. p. 124 sqq. Hefius ad a. 1434. Werdenhagen l. c. p. III. p. 420 sqq. Zamehlius in MSto. Koehler in Willebrandt Chron. l. c. p. 211-214.

3) Ex quo Pauli l. c. p. 291. idem refert, idque Ordini vitio vertit.

4) Willebrandt l. c. II. Abtheil. p. 93. Koehler ibidem p. 214 sq. Ipse Tractatus foederis legitur in Th. Ry-

meri opere splendidissimo supra excitato T. V. p. 39. teste Dreyero in Specimine Iur. Publ. Lubec. circa ius naufragii p. 268.

5) Ex MSto ad annua 1442.

6) Willebrandt

brandt l. c. p. 96 sq. & Koehler apud eundem p. 217. 219.

R. Angliae exhibet Willebrandt l. c. p. 58. ad a. 1448.

8) Koehler l. c. p. 222. Exstant etiam in autographo litterae Henrici VI, R. Angliae, ad Magistrum O. T. eodem anno scriptae & ab hoc cum Magistratu Thorunenſi caeterisque Ciuitatibus in Prussia Hanſeaticis communicatae, quae rem mercatoriam attingunt, quarum mentio iniicitur in Kriefſii Rectoris Gymnaſii Thorun. celeberrimi Progr. in memoriam Kriueſii a. 1755 edito, in quo exhibetur grata Ciuitatis Lubecenſis memoria p. 4.

9) Willebrandt l. c. p. 108. Koehler l. c. p. 191. 125. Rapin. l. c. T. III. p. 513.

Quum commercia ſine mercibus inſtitui nequeunt, diſpicendum nunc eſt, cuius generis merces ex vtraque terra deportatas fuiſſe. Sine dubio ea ſunt exportata, quarum ingens erat abundantia in altera, in altera vero carentia. Supra iam commemorauimus ex RAPINO, antiquiſſimis temporibus, Britannos vendidiſſe ſtannum & plumbum Phoenicibus & Graecis. PHIL. HONORIVS ¹⁾ ait: “Exportari ex Anglia lana & lanificia omnis “generis, ſtanna, plumba, coria, carbones, carnes, & nonnunquam frugum omne genus.,” IO. BOTERVUS ²⁾ ſcribit: “Ex “lanis texuntur panni delicatiſſimi, qui magno numero in Germaniam, Poloniam (adde Prussia) — & alias regiones euehuntur, vbi in magno pretio ſunt.,” TINDAL ³⁾ reſert, ſi quando in Anglia annonae vilitas fuit, nauibus libere euehi potuiſſe ad alias terras frumentum varii generis. Nos iam ſupra notauimus ex LINDENBLATO, quod olim quodam tempore in Prussia, nauitriticum ex Anglia ſubuectum ſit, quod antea nunquam accidiſſe teſtatur. Quid contra ea Prussia Angliae ſuppeditarit, conſtare poteſt ex WAIſſELIO, ⁴⁾ videlicet frumentum varii generis, triticum, hordeum, ſiliginem, lanam, ceram, corium, cannabim, ligna, aſſeres, trabes, malos, piſces aridos, ſaſſamenta, & id genus alia. ⁵⁾ Nos addimus, cineres varii generis (Poſaſche).

1) In Relat. de Regno Britan. p. 194.

2) In Relat. de Regno Angliae p. 181. coll. p.

180. vterque liber adiunctus eſt Th. Smithi de Rep. Anglorum L. III. Lugd. Bat. 1625. editis. Add. Rapin. T. II. p. 553.

3) In annot. ad Rapin. l. c. T. III. p. 419.

4) l. c. p. 1 b.

5) Werdenhagen l. c. P. I. in praefat. p. 43. P. IV. p. 1280.

Numorum praecipuus & maximus vſus eſt in negotiando, quos hic ſilentio non praetermittendos putamus; licet haud diffidendum ſit, priſcis temporibus nonnunquam permutandis mercibus locum fuiſſe. Quantum ex Anglorum annalibus cognosci

potest, ante EDVARDI I tempora numos varii generis & valoris iam extitisse in Anglia. Nam TINDAL¹⁾ memorat, istum Regem pecuniae, quae ex argento, cupro & sulphure flata erat, viliorem, caeteris numorum generibus, ex argento cussis, certum iustumque valorem publico edicto statuuisse diserte narrat, eosque nominatim designat: cuius generis fuit moneta, quae duodecimam partem imperialis efficiebat, anglice *Groat* dicta: ternuncii anglici, *Farthings*: oboli, anglice *Penny*, quae est quadragesima octaua imperialis pars: solidi, *Schillings*, qui quadrantem imperialis aequant. Praeter argenteam monetam in vsu etiam fuit aurea; quo in numero erant quoque teruncii, quos ex argento confectos esse modo commemorauimus. Ferunt, Saeculo XV demum EDVARDVM III omnium primum fuisse, qui genus quoddam aurei numismatis, plane elegantissimi, quod Rosatum & Eduardeum, *Rosenobel*, vocant, signari iussisse, cuius quadraginta quinque vnam auri libram efficiunt, rarissimeque hodie conspiciuntur. Sub imperio HENRICI IV idem genus monetae alio nomine, *Realen*, insignitum, aliusque valor ei attributus erat. De re numaria Prussorum, quae genera tum temporis valuerunt, nihil opus est hic commemorare, cum alii hoc scite ac docte persecuti sunt.²⁾ Antiquioribus temporibus procul dubio frequentior vsus grossorum Bohemicorum in Prussia fuerat, priusquam a Magistris Ordinis propria moneta cusa esset, vt WAISSELIUS narrat.³⁾

1) In annot. ad Rapin. T. II. p. 445 sq. conf. T. III. p. 419.

2) Vid. Pr. Samml. T. II. p. 603 sq. T. III. p. 405 sq. vbi de Prussorum moneta sub Equitibus O. T. ab a. 1330-1454. Add. Waissel. Schütz, Hartknoch, Braun, Duellius & alii passim.

3) l. c.

p. 116b. coll. p. 120.

Florentissimae olim negotiationis ab vtraque gente exercitae, supersunt quaedam monumenta, tum in Britannia, tum in Prussia, quae leuiter attingemus. Nescio, vtrum hic coniecturae doctissimi Angli, SPELMANNI, locus dandus de nomenclatione vocis *Sterling*. Quae si certa esset, luculentum foret indicium mutui quondam commercii vtriusque populi. Vtor verbis HARTKNOCHII:¹⁾ "Inter Anglos non desunt, qui Sterlingos a Prussis "nomen accepisse putant, quod verba GVILHELMII WATSII te-

"stari

“stari possunt. Ille siquidem in Glossario ad vocem Sterling —
 “haec tandem subiungit: Doctissimus Eques (SPELMANNVS) eo-
 “rum potius elegit opinionem, qui a Germanis mercatoribus
 “circa Gedani Elbingaeque partes, quos Esterlings adhuc dici-
 “mus, Sterlingos nostros deducunt, quasi illi in Angliam venien-
 “tes artem purgandi argenti, etiam flandi & feriendi celebrem red-
 “didissent, nomenque ipsorum facto deinceps reliquissent, quod
 “satis est probabile.,” Verum, missis his, certiora peruestiganda
 sunt. Est adhuc Culmae domus institoria Anglicana, quae vetu-
 state labefactata concidere videtur. ²⁾ HESIVS ³⁾ memoriae pro-
 didit, a Commendatore Gedanensi in noua ciuitate, quam lung-
 stadium appellarunt, domum pro Anglis exstructam fuisse, in quam
 pannorum Anglicorum mercimonia transferre cogitarat: cui eam
 ob rem, aliaque priuilegia infirmata, graues cum ciuitate contro-
 uersiae intercesserant. Eiusdem commercii Anglicani memoriam
 renouant Curiae Regis ARTHURI, (Arthus-Höfe, Gilden) in
 maioribus Prussiae ciuitatibus. Res peruulgata est, ARTHVRVM,
 Regem Angliae fuisse, a quo istae domus nomen trahunt, in qui-
 bus aduenae liberaliter excepti, variis lautiorum epularum, ludo-
 rum & oblectamentorum generibus recreati erant. Vocabantur
 etiam hae societates Fraternitates S. GEORGII, qui & Angliae &
 Ordinis Teutonici patronus ferebatur. ⁴⁾ Haud obscurum praeter-
 rea eiusdem rei vestigium esse putamus, ius stapulae, quo venales
 prius exponebantur merces, quam alio transferebantur. Primum
 fuit Thorunii, alterum Elbingae, tertium Regiomonti, ⁵⁾ vt omnia
 suppetere, Anglis, aliisque mercatoribus ad coemendum & aue-
 hendum. Exstant plura, quae amicissimae consociationis & com-
 mercii illustria sunt indicia, quae vt hic commemoremus, non
 opus esse arbitramur; quia sunt monumenta nouissimorum tem-
 porum, ad quae vt deueniamus, alienum a nostro instituto esse
 existimamus.

1) Vid. Diss. XVI. Düsburg. Chronico subiunctam de re num. Pruss. p. 282. it. Alt und N. Preuss. p. § 14.

2) Curicke l. c. p. 36 sq. Hartknoch. l. c. p. 374. Zerneck l. c. p. 24.

3) In MSto l. c.

4) Zerneck l. c. p. 15 sq. Hamb. Magazin l. c. p. 670 sq. Curicke l. c.

5) Leo, qui sua hausit ex Grunauio l. c. p. 168. ita de hoc iure sta-
 pulae scribit: “Ille (Vinicius de Kniprode) ordinauit, vt Culmensis & Dobrinensis suas
 merces

merces Thorunium deferrent. Pomesanienses & qui ad Masouiam habitabant, & in inferiore parte Prussiae Elbingae. Sambientes & Natangi ac Lithuani Regiomonti & non alibi. Ex eodem fonte Waisel. p. 124 a. Hennenberger l. c. p. 113. qui praeterea Mühlfeldii annales consuluit. Quod ad Thorunium, vid. Zernecke l. c. ad a. 1365. p. 22.

Hanc tamen, leuidensem licet opellam, **VIR MAGNIFICE**, **TIBI** haud iniucundam fore plane confidimus, quae admodum gratam redintegrat memoriam auitae sedis maiorum **TVORVM**, summis laudibus conspicuorum, in qua olim tot negotiosissimi viri fuerunt. Accipe pro **TVA** in nos beneuolentia has minus opiparas dapes a Musis nostris, quae **TE PROTO-SCHOLARCHAM** suum indulgentissimum laetabundis animis salutant & optimum **PRAECONSVLEM** vnacum bonis patriae vrbis ciuibus faustissimis votis & congratulationibus venerabundae prosequuntur. Cedat **TIBI**, **VIR MAGNIFICE** vtraque amplissima dignitas bene, prospere, feliciter! vt res tum publicae, tum scholasticae **TVA** opera, vigilantia, prudentia & consilio in dies maiora capiant incrementa. **DEVS T. O. M.** corroboret a nuperrimo morbo valetudinem, vt **TE** valente & florente, omnes res reflorescant, quae acerbitate temporis labefactari videntur. Idem **SVMVM NVMEN** iubeat **TE** interesse mortalium rebus quam diutissime, vt & ciuitati & Musis nostris sis quam firmissimo praesidio & stabilimento, Nominisque **TVI** splendidissimi decus augeas praestantissimis meritis, Maiorum **TVORVM** laudum praeconiis aequiparandis. In tanta omnium rerum **TVARVM** felicitate vt nostrum memoriam conserues perpetuo, & **TVA**, qua soles, gratia nos complectaris, omni studio, demississimaque mente, abs **TE**, **VIR MAGNIFICE**, contendimus.

